

teris paribus, deferere finit. Uti vero in æquiponderantibus sese res habet, quod minima vis alteri parti superaddita, mutationem inducere potest maximam; Ita etiam terra in fluido ac liberrimo aëre pendula, si vel tantillum ab una parte nova pressione tangeretur, non potest in loco manere, verum necessum habet in oppositam partem aliquantulum emoveri, donec vires iterum ad æqualitatem (fortioribus concedendo) redigantur.

§. XII.

Ulterius certissima Astronomorum experientia comprobatum est, quod cœlum hoc nostrum in quo luna circa terram circumducitur, non exactè sphericum sed potius sphaeroides sit; Hoc est, ex una parte quæ novam vel plenam nobis lunam plerumq; sistit brevioris paulò Diametri quam ex altera, & ubi luna in quadraturis versatur. Idq; hic tantum nominasse satis est dum res unanimi Celeberr. Astronomorum (etiam Tychonis & Copernici) consensu satis liquet. Lunam nempe in Oppositione aut Conjunctione sæpe duabus aut tribus Semidiamentris, atque adeò 2000. circiter milliaribus German. terræ nostræ propiorem esse quam in Quadrat. quod per parallaxium diversitatem satis deprehensum est. Præterea corpus lunæ etiam si terra nostra multis vicibus minus sit, per se tamen spectatum ingentis molis est. Et si tantum poneremus lunam 40. partem Diametri terrestris continere (etiam si Tycho Brahe 42. Ricciolus autem 55. partem corpulentia terrestris ei assignet) tamen conficeret circiter 66, 564, 000, milliaria Cubica German. Quæ est magnitudo ingens, & ad pressionem terræ satis notabilem potest habere rationem.

§. XIII.

Jam hisce positis fundamentis Conclusiones exinde formare possumus. Quod si luna nulla esset in Vortice terræ, tum futurum esset ut ejus centrum semper in eodem puncto immotum maneret ex §. II. & quidem in orbis sui medio, tanquam loco æqualiter ab omni parte presso. Concipiamus vero magnum quendam Globum qui Cœlum Lunare indicet, & vicissim alium minorem circum Centrum ejus, Orbem terraqueum representantem. Jam cogitemus si Lunæ corpus satis grande intra hunc orbem circumterrestrem reciperetur, facile constat, quemadmodum corpora fluida cedant impressioni solidorum, quod spatium Verticale inter lunæ